



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XLII. Argumentum. Quæstio famosa disputatur, An Infantes infidelium invitis Parentibus sint baptizandi? & fœdere distinctionis juridicè resolvitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

punct. 9. num. 5. & aliorum, quos citat Gobat in d. tract. 2. num. 224. ad firmandum, quod quisque tenetur cum periculo vite baptizare infantes Christianorum, constitutos in articulo mortis; & num. 231. ubi singulariter advertit; tempore Pestis Parochos teneri tam adultis, quam parvulis administrare hoc Sacramentum Baptismi; quod admittit etiam Joan. Sanci in select. disp. 10. num. 9. & nos latè infra de Extrema Unct. Decif. 72.

Tandem pro plena intelligentia hujus insignis Quæstionis notanda est distinctio, quam ponit idem Zacchias d. lib. 9. tit. 2. quæst. Unic. n. 35. nempe: vel est major spes vite Matris, & minor foetus? puta quia mater sit validis viribus, pulso forti, foetus autem nullum modum edat, & in imo ventris pondus faciat, & in hoc casu præferenda est vita matris, & abstinendum est à sectione ejus ventris. At si mater sit in extremis posita, cada-verosa facie, plusque tenui; foetus verò validus appareat, ac recalcitrando, & validè se movendo maximo vigore se munitum ostendat; utique de hujus salute est magis curandum, & ad sectionem deveniendum. Quod si tam Mater, quam foetus viribus polleant, sed alteruter servari non possit nisi cum alterius exitio, tunc vita Matris est præferenda; ut doctè probat Zacchias ibidem.

DECISIO XLII.

ARGUMENTUM.

Quæstio famosa disputatur, An infantes infidelium invititis Parentibus sint baptizandi? & foedere distinctionis juridicè resolvitur.

SUMMARIUM.

- 1 Infantes infidelium an invititis parentibus sint baptizandi?
- 2 Infidelium nomine quatuor genera veniunt personarum, & quæ?
- 3 Filii Apostatarum, Hæreticorum, & Schismaticorum possunt invititis eorum parentibus baptizari.
- 4 Infidelium Filii validè baptizantur.
- 5 Sed non licitè invititis eorum parentibus, juxta Thomistas.
- 6 At licitè secundum Scotistas.
- 7 Concordantia harum opinionum.
- 8 Mancipia infidelium possessa à Christianis possunt baptizari invititis parentibus.

QUoniam animarum Rectores, & alii studiosi Theologiæ Moralitatis tanto zelo aliquando fervent, ut omnes infideles cupiant promovere ad baptismum, nunc decidendum venit: An infantes infidelium invititis Parentibus sint baptizandi? Pro intelligentia præmittendum; infidelium nomine quatuor genera personarum venire. I. Schismaticos; & sunt illi, qui quidem credunt omnes articulos fidei, sed supremam Romani Pontificis auctoritatem non agnoscunt. Cap. Quia diligentia 5. ubi Gloss. in Verb. Schism. Cubi ait quod Schisma idem est, ac divisio, & scissura De elect. II. Hæreticos, nempe illos, qui unum vel plures articulos fidei non credunt cap. 1. & tot. tit. de Hæret. III. Apostatas, & tales sunt illi, qui Baptis-

num receperunt, sed postea totaliter fidem dereliquerunt, accedentes vel ad Mahometismum, vel ad Judaismum, vel ad Ethnicismum. Cap. Quidam de Apostatis. IV. Paganos, Saracenos, Mauros, Mahometanos, & Judæos, qui nunquam fidem susceperunt. cap. 1. & tot. tit. de Judæis, & Saracenis. Porro Quæsitum de infidelium filiis baptizandis non cadit super tria priorum genera infidelium, nempe Schismaticorum, Apostatarum, & Hæreticorum; quia cum hi ob baptismum susceptum subsint Ecclesiæ, eorum filii possunt baptizari ipsis parentibus invititis; prout eorum Parentes cogi possunt ad errores suos deferendos. Diana Coordin. tom. 3. tract. 1. resol. 6. à §. 2. Et Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 6. n. 12. Similiter in præsentis quæsitio non est intelligendum de Baptismo valido filiorum infidelium, sed de Baptismo licito; quandoquidem extra omnem controversiam est, quod si de facto infantes infidelium baptizentur, Baptismus erit validus, adhibita materia, forma, & intentione Ministri; cum Ecclesiæ suppleat intentionem infantis. Quæstio igitur stat de posse licito; an scilicet liceat invititis parentibus infidelibus, Mahometanis nempe, Paganis, vel Judæis eorum filios baptizare.

Et negativè respondent omnes Thomistæ ob auctoritatem Angelici Doctoris, qui videtur negativam sententiam amplexus. 2. 2. q. 10. art. 2. & 3. part. quæst. 68. art. 10. & Quodlibet. 2. art. 7. ob sequentes rationes.

Prima est. Vel filii baptizandi, invititis eorum parentibus infidelibus; sunt eripiendi de eorum manibus; vel relinquendi sub eorum potestate. Si primum? fit injuria parentibus, eos spoliando jure, quod habent in filiis. Si secundum? fit injuria fidei, & committitur sacrilegium; nam infantes baptizati, si apud parentes relinquuntur educandi, fieri moraliter non potest, quin eorum erroribus imbuantur.

Secunda est. Non est licitum privare infideles bonis temporalibus, quæ possident. Ergo multò minùs filius suis, quos genuerunt.

Tertia est. Gratia non invertit ordinem naturæ; imò ipsa natura fundatur, cujus est idem Auctor Deus. Sed de jure naturæ est, ut filii educantur, & conserventur apud suos genitores, & parentes. Ergo ipsis invititis non poterunt baptizari.

Quarta est. Lex Evangelica est lex libertatis; ad quam suscipiendam infideles sunt hortandi, sed non compellendi. Idè in Concil. Tolet. 4. in can. 56. habetur: De Judæis autem præcipit sancta Synodus, nemini ad credendum vim inferri. Ergo.

Quinta est. Ad recipiendum Baptismum debet præcedere assensus ad articulos fidei: dixit enim Salvator: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. S. Marcus cap. ult. 16. Et in tantum baptizantur parvuli filii Christianorum, in quantum eorum parentes suppleant pro ipsis in assensu ad fidem. Sed in filiis infidelium nullus assensus ad articulos fidei haberi potest, non ab ipsis filiis, qui nondum supponuntur rationis compotes; non ab eorum parentibus, qui sunt fidei inimici: Ergo non erunt baptizandi. Et hanc sententiam tenet Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 25. sect. 3. & 4. Valquez in 3. part. disp. 155. & alii, quos allegat, & sequitur Layman. lib. 5. tract. 2. cap. 6. num. 30. Et Diana part. 7.

part. 7. tract. 7. ref. 68. Quæ sedet in Coordinat. tom. 1. tract. 1. resol. 88.

E contra Scotistarum Schola tenet, filios infidelium licet baptizari posse, etiam eorum parentibus invitis ex sequentibus rationibus.

Prima. Zelus Religionis est omni alio motivo præferendus. Sed retrahere filios ab infidelitate, in qua nomen Dei continuo blasphematur, est zelus Religionis. Ergo filii infidelium, etiam invititis Patribus sunt baptizandi.

Secunda. Hebræi fortilegi, blasphemi, seu perjury puniri possunt à Magistratibus Christianis zelo Religionis, quia peccant in Religionem. Sed idem peccatum est, docere filios infidelitatem, & odium fidei Christianæ. Ergo in punitionem parentum, eorum filios licebit baptizare.

Tertia. Majus, & superius jus habet Deus in filios infidelium, quam ipsi Parentes; nam Deus est supremus Dominus, juxta illud: *Tua est Domine Magnificientia, & Potentia, & Gloria, atque Victoria, & Tibi Laus: cuncta enim, quæ in Cælo sunt, & in terra tua sunt: tuum Domine regnum; & Tu es super omnes Principes. Tua divitiæ, & tua est gloria: Tu dominaris omnium: in manu tua Virtus, & Potentia: in manu tua magnitudo, & Imperium omnium.* 1. Paral. 29. 11. Ergo nulla sit injuria Parentibus infidelibus, eorum filios, mediante Baptismo, ad Deum reducendo.

Quarta. Baptismus est de lege Divina; & Patria potestas est de lege naturali. Sed in concursu harum legum, Divina est præferenda. Ergo, etiam invititis parentibus infidelibus, erunt baptizandi ipsorum filii.

Quinta. Jus patris in filios nullam vim habet in his, quæ sunt contra Deum. Sed impedire, seu reculare, ne baptizentur filii, est contra Deum. Ergo Jus parentum pro nihilo attendi debet.

Sexta. Obligatio credendi Deo loquenti, & amandi ipsum superat quaecumque aliam obligationem. Sed Deus locutus est nobis in Filio, & continuo loquitur per promulgatores Evangelii, quod *Qui non crediderit, & baptizatus fuerit, salvus non erit* S. Marc. ult. 16. Ergo, ut filii infidelium baptizentur, nihil potest impedire, cum hæc sit cæteris major obligatio.

Septima. Pater de Jure non potest filium suum mutilare, seu facere, ut fame pereat. Ergo multo minus, ut æternis flammis per infidelitatem; aut saltem visionis beatificæ privationi, ex carentia Baptismi, condemnentur.

Octava. Pretiosior est salus æterna unius animæ, quacumque re temporali; hinc P. Carolus Spinozian Soc. Jesu, (qui meruit in Japonia martyrio coronari) quia baptizavit quendam puerulum animam exhalantem, mirifice lætatum refert Gobat de Baptismo. tract. 2. nu. 243. Ergo licitum esse debet, ubi se occasio offerat, filios infidelium, eis invititis, baptizare. Imò quisque tenetur id facere cum periculo vitæ propriæ, si infans sit in extremis constitutus. Gobat d. tract. 2. nu. 225. & seqq. Hæc sunt præcipuæ rationes Scotistarum pro hac sententia.

Cæterum concordantur hæc duæ opiniones sub fœdere distinctionis; vel enim filii infidelium sunt adulti, & pervenerunt ad annos discretionis, & in hoc casu si ipsi à Deo inspirati petant Baptismum, & velint ad fidem Catholicam ve-

Doct. Clericali Tom. 1. Lib. 1.

nire, sunt recipiendi, & post instructionem baptizandi, quacumque resistantia Parentum non obstante, quos imò compescere convenit, implorato brachio sæculari, ut pluries contigit in hoc Pastoralis regimine Eminentiſſ. ac Reverendiſſ. Nostri Præfulis Cardinalis BARBADICI, cui Deus donavit multas ex Judæis animas per susceptionem sacri Baptismi. Vel ipsi infidelium filii sunt infantes, & rationis expertes: & in hoc casu oportet subdistingueret; vel sunt in evidenti mortis periculo, itaut morali certitudine quis cognoscat jam animam emissuros; & tunc si potest, Christianus quilibet laudabiliter facit, illos baptizandos. Vel sunt sani, & bonam sanitatem habentes, & adhuc alia opus est distinctione; vel ipsi, seu eorum Parentes sunt mancipia Christianorum, puta quia capti sunt in bello, vel empti ab aliis; & in hoc casu cum Christianus, illos possidens, sit eorum absolutus Dominus, potest pro suo libito filios infantes baptizare, suscepta in se hac obligatione, eosdem infantes, cum adoleverint, instruendi in fide Catholica, neque eos parentibus infidelibus consignandi: ad evitandum periculum subversionis, & apostasie. Vel prædicti infideles, & eorum infantes patiuntur sua libertate ex benignitate Principis, & vivunt unâ cum Christianis tanquam Accolæ, seu Cives, ut faciunt Hebræi, & Turcæ in pluribus Civitatibus Italiæ, & in hoc casu non licet eorum infantes baptizare, quia remanentes in parentum potestate educarentur in infidelitate cum injuria Sacramenti collati; auferri verò à parentibus non deceret; cum id non expediat, tum quia jugum Christi suave est, & Ecclesia semper abstinet à violentia absoluta, etiam aliquando per minas, & terrores laudaverit Principes excitantes subditos sibi infideles ad fidem venire, ut de Sisebuto, seu Alsebuto Rege habetur in Concil. 4. Toletan. de quo Scot. in 4. dist. 4. q. 9. tum etiam quia violaretur publica quies. Et ita hoc Quæsitum resolvunt Layman. d. lib. 5. tract. 2. cap. 6. num. 10. Plures Doctores apud Dianam Coordinatum tom. 1. tract. 1. à resol. 86. usque 92. Mastrius in 4. sent. disput. 2. quest. 4. & in sua Theolog. Moral. d. disput. 17. num. 44. & Eminentiſſ. Cardin. de Lauræa de Baptismo disput. 17. num. 44. & Eminentiſſ. Cardin. de Lauræa de Baptismo disput. 14. art. 5. per totum. Gobat omnino legendus d. tract. 2. à num. 312. & seqq.

Quod si pueri Hebræorum nondum septenni fugiant à paterna domo, & veniant ad Christianos, petentes Baptismum; sed eorum parentes opponant, eos non habere perfectum usum rationis, & propterea esse sibi restituendos; in hoc casu, sunt ipsi pueri reponendi, & custodiendi in loco tuto, donec ad perfectum rationis usum perveniant; ut, si perseveraverint in voluntate, & proposito fidei Christianæ, possint baptizari; interim tamen non sunt restituendi; quia in dubio magis est favendum innocenti filiolo, quam tristi, & nocenti Patri, ut doctè probat Eminentiſſ. Card. de Lugo in Responsis Moralibus lib. 1. dub. 4. ubi DD. relatos à Diana part. 7. tract. 11. resol. 40. quam reperient, qui Coordinatum habent in tom. 1. tract. 1. resol. 99. Et eruditè Gobat d. tract. 2. à num. 326. & seqq. Qui plura cupit scire de hac Quæstione legat Macquardum de Susannis Utinentem, qui in suo erudito tractatu de Judæis, & aliis infidelibus part. 3. cap. 2. num. 6. illam examinat, & opiniones diversas Theologorum, ac Canonistarum hinc inde refert.